

Liber primus

εἰσαγωγικός.

Ingressionis pars prior

Linguae Hebraicae Historiam breviter enarrans.

. Sermo Hebraicus ex earum numero est linguarum, quas viri eruditi appellare consueverunt Semiticas. Sic enim nominatum voluere linguarum genus illud, quod nationibus e Sem Noachi filio oriundis commune fuit (Gen. X 21—31). Notabiles sunt istae linguae radicibus, ut aiunt, trilateris, vocum sententiis ad sonos consonantes adiunctis, flexione per vocales effecta. Et antiquissimis quidem temporibus linguae Semiticae vernaculae erant iis Asiae regionibus, quae inde a Tigride flumine ad medium mare usque et ab Armeniis montibus ad australem Arabiam se extendunt. Ex hominibus istas regiones obtinentibus fuerunt postea, qui Semiticum dicendi genus tum in Aethiopiam, tum in septemtrionales Africae regiones insulasque per medium mare dispersas transferrent. Universa linguarum semiticarum gens pro terrarum situ sermonisque indole trifariam dispertitur; et una quidem familia Aramaica, altera Arabica, tertia Canaanitis vocatur. Nam quae linguae septemtrionem versus Syriae, Mesopotamiae, Babyloniae incolis ab Aram oriundis usitatae erant, durae ac graves minusque perpolitae, eae dictae sunt Aramaicae. In harum numero ascribitur tum Syriaca, tum Babylonica sive, ut communiter loquuntur, Chaldaica lingua; illa permultis libris inde a

secundo usque ad tertium decimum p. Chr. n. saeculum editis, ista versionibus ac paraphrasibus biblicis, quas Targumin vocant, celebris. Item huc referuntur dialectus Samaritana in translatione Pentateuchi carminibusque quibusdam, Palmyrena in titulis aedificialibus, Mandaea sive Zabia in libris gnosticis obvia. Etiam Assyriorum lingua, literis cuneatis scripta ac nuperrime a viris doctis excussa, ad Aramaicam familiam accedere videtur. Quae secunda est ordine Arabica familia per australes regiones diffunditur ac prisca sonorum, radicum, formarum vetustate et varietate conspicitur. Haec in duas praesertim linguas discedit, quarum olim altera in septentrionali, altera in meridiana Arabia vigeat, illa Coreischitica, ista Himjaritica dicta. Himjariticae linguae ex solis inscriptionibus cognitae propinqua est Aethiopica sive Geez, eaque inde a quarto p. Chr. saeculo usque ad decimum sextum permultis literarum monumentis exulta fuit. Sermo autem Coreischiticus, quum in Corano conscribendo adhiberetur, Muhammedi opera eam postea auctoritatem assecutus est, ut usque ad hoc tempus libri ab Arabibus nisi in eo conscripti non sint et haec una lingua in voluminibus innumeris obvia simpliciter Arabica appelletur. Temporum autem decursu dum per ora hominum fertur, lingua Aethiopica degeneravit in Amharicam, Arabica in Arabicam vulgarem et Mauram ac Melitensem. Jam vero tertia familia, quae Canaanitis dicitur, Aramaicam inter et Arabicam quasi media est cum loco tum indole atque natura. Florebat enim in iis regionibus, quae medium mare ex oriente attingunt, atque Aramaico dicendi generi simplicitate, Arabico vetustate formarum proxima est. Complectitur haec tum Phoenicium linguam in numis atque monumentis conspicuam, cui dialectus Punica adiungitur, tum, qui vix ab illa diversus est, Hebraicum scripturae sacrae sermonem, ex quo postera tandem aetate dialectus Talmudica atque

Rabbinica sive, ut dicunt, Neohebraica exstitere. Nos igitur reliquis praetermissis versabimur in lingua Hebraica docenda, quippe quae in libris canonicis Judaeorum, si pauca Chaldaice scripta exceperis, unice obtineat et ob eam causam literarum sanctarum praesertim studiosis commendetur.

Nomen Hebraicum deductum est ab Hebraeis, quo quidem vocabulo Judaei exteris nationibus insignes erant. Unde vero ipsa Hebraeorum appellatio derivanda sit, haud ita constat. Sunt, qui eam ab Arphachsadi filio Heber ductam putent, propterea quod inter gentes ex ipso exortas Hebraeorum natio principatum obtinuerit. Hos iuvat, quod Num. XXIV 24 Hebraeorum nomine omnes, quicumque ex Heber ortum deduxere, comprehenduntur. Alii autem volunt nomen *Ibrîm*, i. e. Hebraeorum profectum esse ex *‘eber*, i. e. terra trans flumen sita. Abram enim Hebraeorum gentis auctorem; quum in Palaestinam immigraverit, ab eius terrae incolis *Ibrî* dictum esse eo quod trans flumen Euphraten genitus fuerit. Cui quidem interpretationi valde favet, quod *Ibrî* Gen. XIV 13 a Septuaginta interpretibus *περάτου*, ab Aquila *περαιτου*, a S. Hieronymo Ep. LXXI ad Lucin. transitoris voce exprimitur. Veram autem explicandi rationem utrique attigisse videntur. Credibile enim est, Abraham, quum inter Canaanaios habitare coepisset, tam patriae, quam originis ergo *Ibrî* appellatum esse a Canaanais, quippe qui et diverso genere a Cham originem ducerent et contrario itinere ex Aegypto advenissent. Ceterum nomen Hebraicum ei de qua agimus, linguae in scriptis vernaculis non tribuitur; principio enim *l' sôn C'náan*, i. e. linguae Canaanitidis appellatione notata est. Nam quo tempore Abraham e Mesopotamia exire iussus est, Palaestinensem regionem tenebant, qui Romanorum lingua Phoenices, sua ipsorum *C'naanîm* sive Canaanai vocabantur. Hi etsi Chamitico genere erant, eodem tamen Semitico sermone, qui nunc Hebraicus est, utebantur. Longo enim tempore ante quam Canaanai ista

loca occuparent, dispersione gentium facta in utraque Iordanis fluminis ripa consedere nationes Semiticae, quae singulis *Avvîm*, *Susîm* sive *Samsummîm*, *R'phaim*, *Kadmonîm* all. nominibus insignes laeta incrementa ceperunt. In quorum sedes quum Canaanaei terra marique advenientes paulatim invasissent, utrique foedus et amicitiam fecerunt et, ut in his rebus fieri assolet, advenae aboriginum lingua assuefacti sunt. Sic contigit, ut Abraham novis sedibus potitus homines genere disiunctissimos sermone admodum propinquos sibi esse agnosceret; ipse enim Chaldaice loquebatur. Quem quidem sermonem licet Abraham cum suis popularibus alieno nomine Canaanaeum significarent, fieri tamen non potuit, quin perpetuo commercio utentes in consuetudinem eiusdem linguae abirent eamque suis posteris quasi haereditate relinquerent. Eandem deinde in Aegypto degentes usque servabant et in Palaestinam reduces tamquam nativam ac congenitam retinebant. Manebat tamen nomen, quo pridem iste eis sermo innotuerat, *s'phath C'nâan* (Is. XIX 18), donec eo tempore, quo summa regni in una tribu Iuda constitit, etiam *Všôn j'hûdîth*, i. e. linguae Iudaicae vocabulo denotata est (2 Reg. XVIII 26). Demum in libris sacris Novi Testamenti occurrit ἡ Ἑβραϊκὴ διάλεκτος (A. App. XXI 40), pluresque Graecae voces quid *Ἑβραϊστί* valeant, explicatur. At vero hac voce non idem sermo intelligitur, de quo huc usque tractatum est; Christi enim tempore Hebraeorum lingua pariter atque natio ipsa suum cursum perfecerat et ad videnti exitum devenerat.

Literarum studia Hebraei simul excoluisse videntur, atque populus esse coeperunt. Iam enim librorum a Moysse conscriptorum tam elegans sermo est atque elocutio perpolitata, ut linguam Hebraicam multo ante tempore scriptis conformatam et expolitam dixeris; nisi forte Moyses eam, cui in Aegypto attenderat (A. App. VII 22), eruditionem primo conatu ad literas Hebraicas attulisse videtur. Pietas

autem sanctissimo homini summorumque beneficiorum auctori tributa fecit, ut postmodum Hebraice dicendi genus ad orationem in Moysis libris conspicuam unice efformaretur ac Pentateuchus qui dicitur quasi norma quaedam ac regula a cunctis librorum scriptoribus observaretur. Unde factum est, ut per temporum decursum lingua Hebraica qualis quidem in scriptis apparet minus, quam alias fieri consuevit, commutata et extenuata sit; quamquam vivum in ore hominum sermonem non tam integrum mansisse certa indicia sunt. Sic res se habuit, quamdiu Hebraei in Palaestina obtinebant. At enim postquam sui iuris esse desierunt et inter exterarum nationes habitare coacti sunt, consuetudinem domestici sermonis minus sanctam habere externoque dicendi generi sese oblinere coeperunt. Itaque qui postea ex Babylonia in suam terram reversi sunt, nativam linguam quasi Chaldaico colore tinctam habebant. Et quamvis in libris scribendis Moysis orationem etiamtum imitari studerent, sane quidquid post exilium Hebraice scriptum est, indolem Chaldaicam redolet et ab ingenii Hebraici puritate plus minusve abest. Deinde ut nova Iudaeorum respublica per temporum discrimina comminuta est, ita sermo eorum a nativa indole abalienatus est, donec Machabaeorum tempore sermo Chaldaicus in locum domesticae linguae succederet. Hoc est, cur in libris Novi Testamenti ἡ Ἑβραϊκὴ διάλεκτος Chaldaica lingua intelligatur Hebraicoque nomine proferantur verba Chaldaica Ἀββᾶ Rom. VIII 15 Ἀκελδαμά A. App. I 19 Μαράν ἀθά 1 Cor. XVI 22 Ταλιθά κοῦμι Marc. V 41 al. Credibile est hoc genus Chaldaice dicendi, utpote Hebraico colore variatum, a propria Babyloniorum lingua paulum distasse; quare recentiores quidem nomen invenere Syrochaldaicum, S. Hieronymum testantes, qui adv. Pel. III 2 Evangelium iuxta Hebraeos dicit Chaldaico Syroque sermone scriptum fuisse. Ipsum autem Hebraicum nomen postea non iam usurpatum est, nisi a Christianis; nam

qui ex Iudaeis de ea disseruerunt, nomen ei dederunt *l'sôn kódesch*, i. e. linguam sanctam.

Ex quo tempore linguae Hebraicae historiam nobis licet assequi, literis eam consignatam esse constat. Omisso enim veterum errore, qui scribendi artem a Phoenicibus sero admodum tempore inventam putavere, viri harum rerum periti iamiam sibi persuaserunt, priscis illis temporibus, ex quibus scripta monumenta exstant nulla, universas linguas Semiticas communi quodam alphabeto ut dicitur instructas esse; cuius quidem effingendi haud dubie signa ab Aegyptiis scribi solita ansam dedere. Hisce literarum signis plerumque nomen tribuitur Phoeniciis, quippe quae è Phoenicum numis ac titulis primo nostris hominibus innotuere. Facile autem aliquis eadem a Phoenicibus efformata dixerit, et hoc prisca illa aetate, qua sedes in Aegypto positas nondum deseruerant. Omnino pro certo habendum est, istud literarum genus simul cum lingua Canaanitica ab Hebraeis adscitum esse; et quemadmodum postero tempore Babylonii et Assyrii ac Poeni atque Palmyreni, quin etiam Graeci et Etrusci illis literarum signis usi sunt, sic et Hebraei, quamdiu prior eorum respublica stetit, ea sola in scribendo adhibuerunt. Huius rei cum nomen in Iudaeorum Talmude Phoeniciis literis inditum *c'thab 'Ibrîth*, scriptura Hebraica, testimonium sit, tum egregium documentum nuperrime existit inscriptio a Meša rege Moabitarum (2 Reg. III) nono ante Chr. saeculo composita et prope Dibon, quod oppidum haud procul a mortuo mari situm est, inventa (*Zeitschr. der D. morgenl. Ges. Bd. XXIV. p. 212. 253. 640 sq.*); Moabitae enim nec lingua nec literis ab Hebraeis discrepabant. Postquam autem Iudaei coacti sunt in Babylonia degere, novum literarum genus cognoverunt illud, quod ab orientalibus hominibus paulatim ex antiquis Semitarum literis figuratum est; istae enim sensim elegantiae causa paululum immutatae sunt. (Bickell, *Grundr. der hebr. Gramm. Tab.*) Cui

quidem immutationi primum Assyrios homines operam dedisse, haud sine veri specie ex eo concluditur, quod novae litterarum notae a posteris Iudaeis ab initio et usque *ʿthab Aššurīth*, i. e. scriptura Assyria appellantur. Sero tandem eadem litterarum semiticarum species ad formam quadratam reducta est et sic *ʿthab mʾrūbā*, scriptura quadrata, e suo ductu nomen accepit. (cf. de Vogüé, *Mélanges d'Archéol. orientale*, Paris 1868). In hoc autem Iudaeis non est credendum, quod dicunt novas litterarum formas ab Esra introductas esse, adeo ut libri sancti, cum ad id tempus literis Phoeniciis perscripti essent, eius auctoritate quadratis rescriberentur; id quod S. Hieronymus (in *Prol. gal.*) non recte intelligens pro certo tradit, Esdram scribam legisque doctorem post captam Ierosolimam et instaurationem templi sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc utimur. Magis enim certum est, litterarum duo genera sic sensim et pedetentim inter se commutata esse, ut per longum tempus simul utrumque in usu esset. Atque adeo Phoeniciae litterarum notae quum ex usu scribendorum librorum penitus exturbatae essent, in publicis tamen monumentis obviae erant, velut numi a Machabaeis principibus cusi et adhuc superstites eisdem literis insigniti sunt. Etiam secundo p. Chr. n. saeculo Bar-Cochba antiquitatem iactans numerorum signa Phoeniciis literis composuit. Haec autem eadem aetate facta sunt, ex qua tituli quadratis literis perscripti ad nos usque pervenerunt, velut inscriptiones duae in arce Hyrcani principis nuper detectae (*Rev. archéol.* 1864. p. 200 s.). Denique antiquiorum notarum usus a Samaritanis usque retentus est, et quemadmodum Pentateuchum quondam a Iudaeis Phoeniciis literis traditam accepere, sic etiam nunc et Hebraicum et Samaritanum eius textum istis litterarum signis perscribunt, nomen autem eis tribuunt et ipsi *ʿthab ʿIbrī*.

Utrumque litterarum genus commune habet primo quod

soni consonantes tantum, non vero vocales propriis notis designantur, secundo quod scribendi ordo a dextra incipiens sinistram versus procedit. Neutro scribendi modo a principio inter singulas voces spatia intermittebantur; Samaritani autem pridem vocum exitus atque initia puncto interposito definierunt, et Iudaei quadratis literis utentes inde a primo ante Chr. n. saeculo voces spatiis interjectis distinguere coeperunt.

Iudaei postquam sui iuris esse desierunt, maiori etiam quam antea studio mores legesque et ingenia a contagione ceterarum nationum integra atque sincera servare conati sunt. Unde factum est, ut ex eo tempore in domesticis literarum monumentis propriaque lingua tractanda industriam exponerent maximam. Ac primum quidem per duo post capta Hierosolyma saecula in definiendo sacrorum librorum textu operam collocaverunt ita, ut postero tempore vel literam addere demere immutare nefas haberetur. Quod quidem sine debita artis criticae peritia factum esse, iidem libri antiquitus in ceteras linguas translati abunde demonstrant; unde dolendum videtur, quod a Veteris Testamenti textu sic tradito docti homines etiamnum recedere non audent nec artem criticam in eo pariter atque in Graecorum et Romanorum libris adhibere conantur. Laboris a Iudaeis instituti specimina adhuc exstant puncta quae dicuntur extraordinaria Gen. XVI 5 Is. XLIV 9 Ps. XXVII 13 ac duodecim insuper locis super vocibus singulis superposita, quippe quas tollendas primo iusserunt, post autem neglexerunt. At enim praeter contextum etiam argumentum sacrorum librorum exponendum ac dilatandum et accommodandum susceperunt eaque voluntate plures literarum Hebraicarum academias condiderunt Iamniae, Lyddae, Tiberiade in Palaestina, Surae, Nahardeae, Pumbadithae, Nisibi in Babylonia. Ubi dum miris illis Bibliorum commentariis, quos *Midraschim* vocant, operam dant, Tiberiade exstitit ineunte tertio saeculo

celeber ille Rabbî Iehudâ hannasî hakkadósch, qui, quaecunque de lege tam literis custodita quam memoria tradita in scholis Pharisaeorum disputata erant, in unum volumen conguessit eique *Mischnâ* i. e. δευτερώσει nomen indidit. Hanc doctrinae Iudaicae summam posteri Iudaeorum magistri incredibili diligentia commentati atque interpretati sunt. Unde cum commentariorum numerus ac moles nimis cresceret, postmodum tam in Palaestina quam in Babylonia fuerunt, qui gravissima quaeque de Mischnâ interpretanda scripta uno libro eoque amplissimo comprehenderent, *Gemarâ* utrimque appellantes. Mischnâ cum *Gemarâ* coniuncta *Talmúd*, i. e. doctrina, nomen accepit; unde cum duplex distinguatur *Gemarâ*, duplex agnoscitur Talmud, alterum Hierosolymitanum, alterum Babylonicum, illud quarto, hoc quinto p. Chr. n. saeculo absolutum. In istis librorum voluminibus quia et Hebraica et Chaldaica lingua vim obtinuit, idiotismus ille exstitit, quem Talmudicum sermonem appellare consueverunt, et is quidem postero tempore per Iudaeorum magistros ad infinitam librorum multitudinem scribendam collatus et Hebraico magis colore tinctus lingua Rabbinica nomen accepit (v. s. p. 2).

At enim usque ad ea tempora, quibus libri Talmudici absoluti sunt, Iudaei ad legenda et intelligenda sacra Biblia nihil aliud attulerunt praeter vivam linguae Hebraicae consuetudinem recitandique in synagogis traditionem; sic enim satis innotuit, quibus vocalibus consonantium literarum textus instruendus esset. Temporum autem progressu cum scientia voce tradita depravari atque oblivione obrui coepisset, necesse visum est ad scriptam orationem vocalium signa quaedam adiungi, quibus certa enuntiandi ratio legentibus indicaretur. Quod quum diversi diverso modo instituissent, summam denique nactus est auctoritatem ea ratio, quae Tiberiade a doctis Iudaeis excogitata atque ad libros sacros adhibita est. Punctis enim ac lineolis tum supra, tum infra, tum

etiam intra consonantes literas positis non solum, quae ubique vocales proferendae sint, verum etiam, quid acute, quid leniter dicendum, quid corripiendum, quid producendum, quid cum accentu efferendum, quid sono mitigandum siq̄ diligentissime notarunt. Et haec quidem ratio, quam nostrates homines punctationem dicere consueverunt, brevi adeo inveteravit, ut in libris Veteris Testamenti tam manuscriptis quam prelo impressis tantum non omnibus hucusque servata sit.

Absolute vocalium instituto docti qui in academiis congregati erant Iudaei aliud opus aggressi sunt, quo suam erga libros Veteris Testamenti pietatem manifestarent. Ingenti enim labore ac studio adhibito id egerunt, ut et sacrorum librorum textus qualis erat vocalibus ornatus in omne tempus ab hominum temporumque iniuria immunis maneret et intellegentia per manus Iudaeorum tradita illaesa servaretur. Unde quot versus, voces, literae in singulis libris obvenirent, quae esset media cuiusvis libri litera, quoties singulae voces vel unam vel alteram vim haberent, quid pro errato non habendum, quamvis insolitum esset, quae voces proprietatem quandam prae se ferrent, atque innumera alia id genus minuta subtilitate exquisierunt scriptisque traderunt. Quibus quidem commentariis in unum corpus coactis post a Iudaeis *Masorâ* sive *Masoreth* i. e. traditio nomen inditum est.

Ex immenso harum annotationum numero paucae quaedam eaeque criticae etiam in hodiernas Bibliorum sacrorum editiones receptae sunt. Masorethae enim qui dicuntur ubi in textu scripto mendum aliquod vel detexerunt vel etiam adesse opinati sunt, ad marginem veram quam arbitrati sunt lectionem apposuerunt; quod utrumque in nostras editiones transmissum est ita, ut voces in textu obviae *c'thîb*, i. e. scriptae, in margine vero collocatae *k'ri'*, i. e. legendae dicantur.

Masoretharum operam decimo saeculo perfectam tandem secuta est grammatica linguae Hebraicae tractatio, ad quam Iudaei Arabum praesertim exemplo instituti sunt. Inter primos, qui huic studiorum generi vacarent, fuerunt Rabbî Iehudâ Chajjûg, qui circa a. MXL in vita erat, et Abraham ben Esra sive Aben Esra, qui anno MCLXVII defunctus est. Meritis utrumque superavit celeberrimus ille literator Rabbî David Kimchî, qui circa annum MCCXL in Gallia Narbonensi defunctus est. Ex eius operibus praecipue afferendus est Liber Perfectionis et grammaticam et lexicon complectens, qui fundamentum eruditionis praebuit posteris scriptoribus, et iis non solum Iudaeis, sed etiam Christianis. Inde enim a duodecimo saeculo Christianorum theologi plures, quam antea, literis Hebraicis vacabant, ac postquam a summis pontificibus tertio-decimo saeculo regnantibus lege sancitum est, ut in quavis literarum universitate et Hebraica et Chaldaica et Arabica lingua publica auctoritate doceretur, exstiterunt multi, qui Hebraica doctrina eminent. Omissis eorum qui per plura saecula in Hispania praesertim floruerunt nominibus, deinde commemorandi videntur Paulus Scriptor Tubingensis, Antonius Nebrissensis, Conradus Pellicanus, qui anno MDIII librum edidit de modo legendi et intelligendi Hebraea. Summam vero laudem in hac eruditionis disciplina meruit Ioannes Reuchlinus vir clarissimus, qui anno MDVI egregia edidit Rudimenta Linguae Hebraicae et grammaticam et lexicon complectentia. Praeterea etiam inter doctores christianos magni aestimata sunt, quae eodem fere tempore de lingua Hebraica conscripsit Elias Levita Iudaeus Neostadiensis. Insequente saeculo viri eruditi e gente Buxtorfia Basiliensi varie de studiis linguae Hebraicae meriti sunt. Recentiore tempore Hebraicae linguae cognitioni mirum quantum profuit ceterarum linguarum Semiticarum, imprimis vero Arabicae comparata scientia. Inter

viros doctos, qui novam hanc viam ingressi e finitimarum linguarum cognitione linguam Hebraicam illustrare studuerunt, imprimis nominandi sunt A. Schultens († MDCCL), N. W. Schroeder († MDCCXCII), I. Iahn († MDCCCXXI).

Recentissimo tempore ad profundiorē linguæ Hebraicæ scientiam plurimum contulerunt Vilelmus Gesenius, qui lexicis editis tribus librisque grammaticis duobus sermonis consuetudinem sana eruditione assecutus est, et Henricus Ewald, qui in intimas loquendi rationes audaci philosophorum more inquirere conatus est. Utrumque exsuperavit proxime Iustus Olshausen libro *Lehrbuch der Hebräischen Sprache* 1861 inscripto et historicam et criticam et comparativam ut aiunt rationem eximie coniungens. Cuius vestigiis deinde insecuri sunt libellis editis F. A. Arnold et Gustavus Bickell, ille *Abriss der Hebräischen Formenlehre* 1867, iste *Grundriss der hebräischen Grammatik* 1870 inscribens; denique Bern. Stade 1879 et Friedr. Ed. König 1881 egregii uterque libri partem priorem promulgans. Ingentem observationum molem in duo vasta volumina (*Ausführliches Lehrbuch der Hebräischen Sprache* 1866. 68) docte magis quam erudite congescit Fridericus Böttcher, discentium autem necessitati prudenter prospexit Laberenz (*Grammatik der Hebräischen Sprache des Alten Testaments*. 1867), quibus ultimo neque vero infimo loco nuper accessit H. L. Strack, *Hebräische Grammatik mit Uebungsstücken, Litteratur und Vokabular*, 1883. Lexica edidere præter Gesenium duo Jul. Fürst, singula F. Leopold et Dav. Cassel.